

corpus in Aeacidae, magnas obeuntia terras
 tot maria intravi duce te penitusque repostas
 Massylum gentis praetentaque Syrtibus arva: 60
 iam tandem Italiae fugientis prendimus oras,
 hac Troiana tenus fuerit Fortuna secuta.
 vos quoque Pergameae iam fas est parcere genti,
 dique deaeque omnes, quibus obstitit Ilium et ingens
 gloria Dardaniae. tuque o sanctissima vates 65
 praescia venturi, da — non indebita posco
 regna meis fati — Latio considerare Teucros
 errantisque deos agitataque numina Troiae.
 tum Phoebo et Triviae solido de marmore templum
 institutam festosque dies de nomine Phoebi. 70
 te quoque magna manent regnis penetralia nostris:
 hic ego namque tuas sortes arcanaque fata
 dicta meae genti ponam lectosque sacrabo,
 alma viros. foliis tantum ne carmina manda,
 ne turbata volent rapidis ludibria ventis, 75
 ipsa canas oro.' finem dedit ore loquendi.

At Phoebi nondum patiens inmanis in antro
 bacchatur vates, magnum si pectore possit
 excussisse deum: tanto magis ille fatigat
 os rabidum, fera corda domans, fingitque premendo. 80
 ostia iamque domus patuere ingentia centum
 sponte sua vatisque ferunt responsa per auras:
 'o tandem magnis pelagi defuncte periclis —
 sed terrae graviora manent — in regna Lavini
 Dardanidae venient — mitte hanc de pectore cu-
 ram — 85

sed non et venisse volent. bella, horrida bella,
 et Thybrim multo spumantem sanguine cerno.
 non Simois tibi nec Xanthus nec Dorica castra
 defuerint, alius Latio iam partus Achilles,
 natus et ipse dea, nec Teucris addita Iuno 90
 usquam aberit, cum tu, supplex in rebus egenis,
 quas gentis Italum aut quas non oraveris urbs.
 causa mali tanti coniunx iterum hospita Teucris